



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

76 Scholis præceptores præficere optimos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

SIGNVM • LXXVI.

SCHOLIS PRAECEPTORES PRAE-
ficere optimos, *vsq; lauta pendere*
salaria.

Semper enim quibus probi & docti Magistri
Sobrigere, ij Remp. instaurarunt, atque aucto-
res fuerunt, vt sapientia Religioque pristinum
reciperent statum. *Carolus Magnus*, quod *Alcu-
num Bed* discipulum: plerique alij, quod *Oth-
ricum II.* qui *Magdeburgensis* fuit Archiepisco-
pus: *Honorus & Arcadius Theodosij Imp* filij, quod
Arsenium Romanæ Ecclesiæ Diaconum: *Otho III.*
Imp. & *Robertus Gallia Rex*, quod *Gilbertum Flo-
riacensem Monachum*, qui postea fuit *Silvester*
II. Pontif. Max. *Rufus Angliæ Rex*, quod *Lanfran-
cum Cantuariensem* Archiepiscopum: *Carolus V.*
Imp. quod *Adrianum VI.* Pont. Max. habuere præ-
ceptores, ea in seipsis semina conceperunt, vnde
ad Christianam Remp. maturuere fructus præ-
tiosissimi. *Anton. Possuin. Biblioth. selectæ lib. 1.*
cap. 7. Vide Middendorp. de officijs Præcept. Con-
tra *Iulianus Apostata* 3 quod *Maximum Philoso-*
phum, (de *Maximo* ob diabolicam Magiam sup-
plicium est sumptum,) & *Libanium Sophistâ im-*
pios nactus est, ex seipso, & è Christiano orbe
(quantis poruit conatibus) pietatem, Religionē
Christianam, scholas antea rectè institutas, tem-
pla Catholicorum, idque breuissima temporis
spatio, eiecit. Aded veneni mica quantascunque
exquisitas epulas inficit. Agri quod foecundiores,
eò peiores germinant herbas, nisi colantur, &
purgentur.

Nna 2

Cum

Cum *Carolus Magnus* *Clementi* cuidam *Scoto* *Parisijs* Procerum pauperumque pueros ingeniosos erudiendi causa commisisset, eidem stipendia e *Fisco* tradens, aliquando pueros istos epistolis, versibus, carminibus, orationibus panegyricis scriptis sui profectus specimen exhibere iubet. Vbi tenuiores, praeter spem, profecisse; nobiles vero cultum animi neglexisse deprehendit: illis ad dexteram segregatis: Vos quidem maesti virtute, inquit, estote filioli piensissimi, qui nostro imperio gnauiter defuncti estis, vestra erum *Sacerdotia* locupletissima, & *Pontificatus* maximi. Ego vos in aulam adscisco, ex vobis *Senatores* cooptabo, vos in album *Pratorum*, & *Patrum curiam* adlegam. Deinde ad nobilium liberos, quos à leuare collocarat, vultu irā non dissimulans, ait. At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus & splendore parentum, nostram *Maiestatem* spreistis: vitia, otia, luxum, & inertiam, bonis litteris & virtuti, contempto decreto nostro, praetulistis. Deum ergo *immortalem* testor, nihil penitus commodi honorisque à me ad vos peruenturum: quinimò etiam in vos exempla, nisi respueritis, & negligentiam diligentia expiaueritis. *Auentinus* lib. 4. *Annal. Boiorum*.

Doctrina
mores non
sunt esse se-
vos.

Verè *Symmachus* scripsit, lib. x. epist. 73. Scimus bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis Reip. vt disciplinarum Professoribus praemia opulenta pendantur. Et *Iustin.* Episc. in *Cant. Cant.* Ve fruges non tam soli ingenio, quam caeli beneficio & temperie latius proueniunt: ita quoque artes bonae, eximiaque ingenia Principum ac Magistratum benignitate excitantur.

NB.

SIGNVM